

## **Dissertatio medica inauguralis, de ophthalmia ... / [William Wemyss].**

### **Contributors**

Wemyss, William.  
University of Edinburgh.

### **Publication/Creation**

Edinburgi : Balfour et Smellie, 1773.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/w7hd2kbs>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

Ex Lib. Societ. Med. Abre

Dono Dedit Rob. Scott

Societ.

Ex Lib. Societ. Med. Abre

*[Faint, illegible cursive text]*

Ex Lib. Societ. Med. Abre

Rob. Scott 1797

Dono Dedit Rob. Scott

Dono Dedit Rob. Scott



52651/p

*[Faint, illegible handwritten text]*

*[Faint, illegible handwritten text]*

*[Faint, illegible handwritten text]*

*[Faint, illegible handwritten text]*



DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

*Ex dono Rob. DE Scott Socii*

OPHTHALMIA.

*Ex Libris Soc. Q. A. M. Med. Acad.*

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

GULIELMUS WEMYSS,

BRITANNUS.

Ad Id. Septemb. hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

---

M, DCC; LXXIII.



H. 30

Dr. Sigurdson  
from his humble Serv<sup>t</sup>  
The Author

317695



Patri suo optimo,

ALEXANDRO WEMYSS

DE PITKINNIE,

ARMIGERO,

Medicinae Doctōri :

Nec non,

Viro eruditissimo,

ALEXANDRO MONRO, M. D.

Medicinae et Anatomes,

In Academia Edinensi,

Professori celeberrimo ;

Hanc dissertationem

D. D. C. 9.

GULIELMUS WEMYSS.

MED. CHIR. SOC.  
ABERDEEN.



ALEXANDRO WEMYSS

DE PITHINIA

A R O P O

Medicine Doctor

Nov

Vin

Digitized by the Internet Archive  
in 2018 with funding from  
Wellcome Library

In

Prof

Jan

D.D.C.

GUILIUMUS WEMYSS

MD

# DISSERTATIO MEDICA,

D E

## O P H T H A L M I A.

**L**ICET Ophthalmia, ut plerique alii morbi, a scriptoribus in Idiopathicam et Symptomaticam vulgo divisa sit; tamen, cum sola idiopathica morbus sit, et casus symptomatici aliorum morborum partes seu symptomata sint; ideo de ophthalmia scripturus, idiopathicam solam tractaturus sum, relegatis ad morbos quorum sunt casibus symptomaticis.

### D E F I N I T I O.

Ophthalmiae signa sunt; rubor et dolor oculi, et partium vicinarum; lucis intolerantia.

A

HIS-



## HISTORIA MORBI.

Adveniente morbo, primum rubescit tunica albuginea; tumescunt palpebrae; rigescit, calescit, et arefcit oculus; in quo quasi micae pulveris sensus est, et culicum antevolitantium imago. Refugitur lux, quae, procedente morbo, maximeque si inflammatio magna fit, intolerabilior fit; visusque, cornea et humoribus naturalem tralucen-  
tiam retinentibus, aliquantum imminuitur. Crescit fere albugineae tunicae rubor, qui interdum totam ejus superficiem, qua cernitur oculis, occupat. Quod ubi fit, eadem manifeste saepe tumens opiniois cornèae depressae causa nonnullis fuit. Raro vel nunquam ad corneae vasa pervenit rubor, quae fat saepe magis aut minus obfuscantur. Partes inflammatae semper, alias leviter, alias ita graviter, dolent, quasi spina aut corpus acutum intus sit infixum. Non semper ad oculum aut palpebras dolor, saepe ad  
tem-



tempora aut totum capitis latus; refertur. Siccitas, quae primum esse solet, aliquando per totum morbum permanet: Sed cito plerumque tenuis humoris magna copia profluit: Semperque mane humor viscidus adeo palpebras conglutinat, ut difficile aperiantur. Ophthalmia plerumque localis morbus est; quam utique aliquando auctus toto corpore calor, pulsus frequentior, temporum pulsatio, dolor capitis, et delirium, sed rarius, comitantur.

Solitus ophthalmiae finis resolutio est, rarior suppuratio. Est, ubi maculae in cornea, aliquando humorum, praecipue lentis crystallinae, opacitas, relinquuntur. Et, si ne ullo horum effectuum, in caecitatem interdum definit morbus.

### CAUSA PROXIMA.

Omnia morbi, modo dicta, symptomata, in vasis partis affectae auctum sanguinis impetum ostendunt. Et causae, mox memorandae,



tandae, eae sunt quae in ea vasa sanguinem insolita copia percitent. Quod praecipua res est non solum in ophthalmia, sed in quavis alia inflammatione, et ad quam symptomata referenda sunt. Eandem obstructionis species subsequitur; et vasa ultra solitum distenduntur: Quae distentio stimulat, et vasorum actionem intendet. Sed ad constituendam inflammationem alia re opus est: Ea spasmus est. Cujus plus minusve oculi inflammati vasa adficere hoc apparet, quod omnem inflammationem, paulo majorem, accessio febrilis, a frigore incipiens, comitatur. Qua vero ratione suboriatur spasmus, aut quare aucto omni sanguinis impetui necessari<sup>us</sup> sit, haud explicare audebo, re vera contentus. Ab his duobus, impetu adaucto, et constrictione spasmodica, tonus et actio vasorum augebuntur, nasceturque et sustentabitur inflammatio. Quae, si cubi vehementior est, auctus tonus, et tensio aucta, ad reliquas perveniet arterias, et communem corpori diathesin inflammatoriam dabit. Haecenus cum aliis inflammationibus

bus



bus ophthalmia convenit. Cui solum proprium hoc est, quod membrana, quae solita et princeps inflammationis sedes est, nempe adnata, cum membrana adiposa aut textura cellulari laxiore non connectitur; ideoque humorem eum, qui in pus mutabilis fit, effundi parum patitur. Quo fieri videtur, ut suppuratio, quae non prorsus ab hoc aliena morbo est, rarius tamen incidat.

## CAUSÆ REMOTÆ.

Adeo sensibilis oculus est, singulari apparatu nervoso in eam rem instructus, adeo multos, adeo volubiles et assiduos motus peragit, quibus quasi animi index fit, totque vasis sanguiferis per membranas ejus discurrentibus praeditus est, ut ophthalmiae frequentia minime debeat cuiquam videri mira; eoque minus, si ad has res adjiciat externum oculi situm, per quem variis irritamentis et noxis objicitur, ideoque ejus rei, quae proximae causae pars praecipua est, nempe, distentionis inflammatoriae, causis.

Causae



Causae remotae ophthalmiae dividi possunt, I. In eas quae in quovis homine morbum concitare valent; II. In eas, quae solum, aut fere solum, in jam ante ei opportunis illum suscitant.

I. Primum causarum genus multiplex et varium; tamen, ni fallor, ad externam violentiam, aut aliena corpora in oculum insinuata, commode satis redibit. Sub alienis corporibus plurima comprehenduntur: Cujusmodi sunt, arena, miculae ferri, nicotiana contrita, et similia, quae aut inter orbem et palpebras insinuari, aut corneae adhaerere, possint; item fumi metallici, aliive, et praecipue rerum ardentium fumus; tum spirituosus, aut alii stimulantibus liquores oculo affusi; denique, palpebrarum intus conversi pili; postremo, intra palpebras tubercula.

Haec omnia, ut quotidiana experientia docet, saepe ophthalmiam faciunt. Et ejusmodi omnia sunt, quae quemlibet, utut sanum, oculum, vasorum actionem et humorum

rum



rum motum excitando, inflammare queunt. Facta autem inflammatio major aut minor erit, pro vi aut mora noxarum admotarum.

II. Alterae causae sunt ipsae sua vi minus morbi effectrices; et tantummodo, ubi jam ante, per conditionem aliquam, pronior quis in morbum est, una cum ea conditione illum excitant. Ideoque, ut causae jam memoratae pro simpliciter remotis, quae Principia Gaubio dicuntur, habendae sunt; ita hae, de quibus nunc agitur, quia sine conditione nihil agunt, et cum ea morbum vi conjuncta inferunt, Occasionales, seu, ut Gaubio placet, Potestates nocentes, aut, si Celsum sequi velis, Noxae vel Offensae, dicantur. Porro, conditio, per quam fit ut potestates nocentes morbum excitent, Praedispositio, sive, ut melius Gaubius, Seminium, nominetur. Prius igitur excipiam

*Seminia.* Conditionem, de qua loquimur, seu feminium, hic dari eo apparet, quod nonnulli



nulli levibus de causis, quaeque alios minime tangant, in morbum prolabuntur. Nec, qualis ea conditio sit, obscurum est. Ophthalmiae, aliarum more inflammationum, plenus habitus et fibrae tensiores subsunt. Eadem magis cum eo statu, qui ad congestiones capitis ducit, connectitur. Sed frequentissimum, potentissimum, maximeque manifestum hujus morbi feminium, quodque solum forsitan pro feminio hic habendum sit, est quaedam vasorum oculi debilitas, seu laxitas. Haec aut congenita esse, aut a diversis relaxantibus rebus induci, nec ab ulla magis, quam priore ophthalmia, potest. Quae ubi subest, sanguinis in vasa adfluxum, distentionemque horum inflammatoriam, leviores causae, et sano oculo non nociturae, creabunt. Quem effectum quae edant, ideoque quae hujus morbi

*Potestates nocentes* sint, deinceps inquiramus. Eae sunt,

I. Res luminosae; qualia sunt, jubar Solis, ignis, lucerna diutius contento oculo conspecta; item, rerum lucem reddentium intuitus intentior,



tentior, qualis in lectione, scriptione, aut ad lucernam tenuioris operis factione, evenit. Quod si eadem ad ignem fiunt, ad lucis stimulum caloris, de quo mox, stimulus accedet: Postremo, huic contraria quae videatur rerum minutarum in languida luce inspectio; quae oculi partes, et praecipue irida, sensilissimam membranam, nimium distendet.

2. Lucubratio eodem pertinet. Haec, inter quietum vitae genus sequentes, et literarum studiosos, frequentissima ophthalmiae causa est. Sub qua complura comprehenduntur ad sanguinis in oculi vasa impetum urgendum pertinentia. Animi in una aliqua re multum occupati unus effectus est. sanguis ad caput prae caeteris partibus percitatus; quod venarum circa caput tumores, ponderis ibidem sensus, et aliquando dolor pulsans, indicat. Congesto vero ad oculum sanguine, ut pars oneris in multiplicia oculi vasa inclinet, necesse est. Cum quo effectu ille alter, jam relatus, conjungetur, scilicet, lucis a rebus luminosis reflexae irritamentum; quod, ut illo etiam magis,



immittet forsitan in capitis vasa sanguinem, ita utrumque conjunctum maxime id efficiet.

3. Eodem pertinet ebrietas. Haec a ple-  
risque medicis, ut ophthalmiae causa, me-  
moratur. Neque frequentior ebrietatis ef-  
fectus, oculorum rubedine, ullus est. Haec  
noxa consimilis operis est ac lucubratio :  
Nam et hic quoque complura alia cum li-  
quorum vinosorum vi concurrunt, magisque  
quam ea effecti forsitan efficacia sunt. Li-  
berior potatio, inter alia quae efficit, cor et  
arterias stimulat ; eoque ad oculorum vasa,  
si jam ante ad recipiendum eum prona sint,  
sanguinem submittet. Sed ad hoc irrita-  
mentum, multae lucis, caloris externi, can-  
tandi contentiōnis, et similibus rerum stimu-  
lus, vulgo accedit ; quo fiet, ut ad capitis  
vasa, et praecipue oculorum, copia sanguinis  
congeratur. Quae res praecipua forsitan oph-  
thalmiae crapulam secutae origo est.

4. Noxa hic non omittenda, calor aut fri-  
gus nimia, aut haec inter se alternantia, sunt.  
Calorem oculum stimulare jam dictum est ;  
sed



sed idem humores illic contentos rarefacit, et utroque modo plenitudinem praeter naturam, et distentionem efficere potest. Quod si hoc minus futurum videatur, quia relaxat et vasa calor; respondeo, licet vasa relaxare calor non inficiendus sit, illud tamen nihilo minus fieri, quia prius humores rarefacit calor, quam relaxat firma. Distentionem quoque frigus efficiet, sed diversa ratione, nempe, vasa constringendo, et, ut humores arctius amplectantur, efficiendo: Unde aequae efficax, ac a copia aut mole humorum aucta, stimulus suborietur. Quin et constrictio spasmodica, hanc comitans inflammationem, et partem ejus constituens, saepe a frigore, cui oculus multum objicitur, oriri videatur. Verum, licet hoc ita sit, tamen, cum toties sine frigore fiat ophthalmia, non semper spasmi origo frigus esse potest. Cum frigus abest, spasmus inde oriri, unde in interna inflammatione, quo frigus adspirare nequit, credendus est, nempe, a stimulo distentionis: Quo fit ut vasa, ut crebrius, ita arctius, et ad modum spasmi, contrahantur.

Sed



Sed hujus rei plenior explicatio non hujus loci est. Si distentionem inflammatoriam aut calor aut frigus, seorsum, inferre possunt, conjuncta id magis efficient. Ita, exempli ergo, si quis calido cubiculo, ubi paulo longius fuerit, subito sub apertum aëra frigido tempore exit, vasa constringentur, et distentio stimulans sequetur. Item, ubi ex frigido aëre aliquis in perquam calidum cubiculum venit, aut juxta magnum ignem confidet, rarefacto sanguine in vasa constricta ruente, idem effectus nascetur.

5. Ventorum vehementia, ut noxa ophthalmiam faciens, culpata a nonnullis est. Quae utique, aut ut calorem, aut ut frigus, aut ut pulverem et aliena alia corpora, jam supra recensita, perferens, non ut ventus, nocere credenda est. Aut si sic quoque nocet, quomodo noceat nescio.

Licet, ut dictum est, hae omnes potestates, oculos prorsus sanos, et laxitatis morbidae expertes, non fere inflamment; eadem tamen, etiam ubi nulla laxitas, nullum seminium subest, majorem solito humorum in oculi



culi vasa adfluxum faciendo, laxitatem et inferre possunt, et saepe inferunt; et sic et feminia et potestates nocentes fiunt. Ita lectio ad lucernam oculis prorsus sanis et validis fatis diu non nocebit; quae tamen post certum tempus, et certam exercitationem, eosdem debilitatos laxabit: Quo facto, is lucis stimulus, qui antea nihil valuisset, ad impetum humorum, et vasorum distentionem, in quibus inflammatio consistit, faciendum demum valebit.

#### SYMPTOMATUM EXPLANATIO.

Ut symptomata quaedam explicare coner, qua in re rubedine, dolore, et lucis impatientia, ero contentus: A rubedine incipiam.

Ut cujuslibet partis corporis rubedo a rubrorum globulorum copia, ita hic quoque, pendet. Vasa tunicae adnatae, partis ejus quae protinus cum oculi orbe conjungitur, sana, rubrum sanguinem minus, humorem decolorem magis, ferunt; id quod non solum colorati liquores post mortem in ea immissi, sed



fed et hic morbus, declarat. Ideoque hujus membranae inflammationem comitans rubor, a rubris globulis pluribus vasa illius intrantibus oriatur, erit neceffe. Quod, cum auctum in vasis ejufdem adnatae impetum significet, fupra dicta in caufa proxima confirmat.

Eodem dolor oculi referendus eft : Cum in vasis oculi fanguinis plus non eft, quam quod folitae et neceffariae diftentioni neceffarium eft, nihil infoliti fensus, ideoque neque doloris, oriatur. Verum, fi copia fanguinis praeter naturam infolita eft, vasa ultra tonum naturalem diftendentur, et fic dolorem excitabunt. Haec igitur nimia vaporum diftentione dolorem, ubi hic externarum magis tunicarum inflammatione continetur, explicat. Sed haec fola doloris caufa non eft. In plerisque ophthalmiae cafibus, aucti in univerfis oculi vasis impetus fatis manifeftae notae funt : Et licet non ideo tunica choroidea et retina, quae aliquando, fed rarius, inflammantur, femper inflammari credendae fint; tamen, quia in earum

vasis



vasis augetur impetus, aliquid ibi inflammationi proximum subesse judicandum. Qui impetus auctus non solum vasa retinae nimis distendet, sed et fibrillas nervosas extendet praeter modum; unde, quam a simplice vasorum distentione, doloris plus nascetur: Qui major usque erit, prout internas membranas inflammatio propius descendat.

Ut, intolerantia lucis quo modo oriatur, paucis dicatur: Si sola oculi pars, quae lucis impulsus sentiat, retina est, ut inter physiologos nunc convenit, ideo hujus causa symptomatis in retinae affectione aliqua quaerenda est. Hanc igitur eruere coner. Cum, aliquamdiu postquam impulsus seu actio externorum corporum desierit, sensationes saepe permaneant; ideo motus, in extremis nervis sentientibus excitatus, oscillatorii seu vibratorii generis esse, et aliquo modo in elasticae materiae nervos percurrentibus tremoribus consistere, creditur; nec injuria: Nam nullius corporis motus, ab impulsu ortus, si eodem loco corpus permanet, postquam impulsus desit, permanere potest,  
nisi



nisi talis, qualem dico, motus sit. Si hoc verum est, sequitur, suam nervis, aequae ac cuivis alii corpori elastico, tensionem quandam esse: Verique simile est, sentientium nervorum extremorum statum, variante tensionis statu, varium quoque fore. Sed qui haec iis tensio datur? In omnibus sentiendi organis, nervis extremis sentientibus insolitam vasorum sanguiferorum copiam natura intermiscuit; quod nusquam insignius factum, quam in retina, est, ubi vasa sanguifera adeo numerosa sunt, ut arteriolae singulae singulas separatas expansi nervi optici fibrillas comitari videantur. Tot vasa sanguifera nervis horum organorum intermixta in aliquem usum comparata sint necesse est. Neque verisimilius quicquam est, quam tensionis nervis dandae, et sensiliores eos impulsuum quorundam reddendi, causa, id factum esse. Quam tensionem dare posse vasa sanguifera, dubium quidem non est: Nihil enim certius est, quam unumquodque nostri corporis vas sanguiferum in majus distentum humore contento esse, quam si suae naturae relinqueretur.



retur. Quam distentionem majorem aut minorem pro occasione fieri, aequè exploratum est. Quae varians vasorum sanguiferorum tensio, si modo exposita opinio vera est, nervorum extremorum, vasis intermixtorum, tensionem variabit. Ideoque, prout alterorum aucta tensio sit, ita et alterorum adaugebitur. Haec ingeniosi imprimis viri, praeceptoris nostri Culleni, doctrina, ophthalmiae rationem illustrat pariter, et ab ea illustrabitur. Quo in morbo, aucto in retinae vasis impetu, sive inflammationem, sive huic vicinum statum, ostendente, tensio, vel, ut alia voce utar, sensilitas membranae augetur. Qua aucta, sensationem dolorificam, et impatientiam lucis, haec oculo admota dabit.

### P R O G N O S I S.

Omnis oculi inflammatio eatenus periculosa est, quod ita organum tenerum et delicatum mutare potest, ut aut lucis ad retinam

C

aditus



aditus intercludatur, aut retina lucis impulsuum infensibilis reddatur.

Caecitatem denunciant, inflammatio omnes membranas adficiens, partium ficcitas, cornea obfusata, aut maculis notata, humorum opacitas, aut totus orbis suppuratus.

Contra, inflammatio non gravis, et ultra adnatam et palpebras vix procedens, cornea et humores pelluciditatem servantes, oculumque abluens lachrymarum larga secretio, medicabilem idonea curatione morbum, et omnium partium servatum usum, promittunt.

### C U R A T I O.

Quod ad curationem morbi attinet, remedia eadem fere sunt ac inflammationis communis; nisi quod hic resolutio semper spectanda sit. De idiopathico morbo loquor, symptomati curacione neque ad nos pertinente, et morbi primarii curacionem, quaecunque ea sit, et quamcunque varians, sequente.

Medendi



Medendi duo confilia funt.

I. Impetum fanguinis, et vaforum actio-  
nem, imminuere.

II. Symptomata quaedam levare.

I. Primo confilio respondent, curatio anti-  
phlogiftica, vel irritatio omnis, maxime lu-  
cis, vitanda ; humorum detractiones, ut fan-  
guinis, five communis five localis ; alvi pur-  
gatio, veficatoria, fontanelli, et fetacea ; et  
quaedam extrinfecus applicata.

Quod ad antiphlogifticam curationem at-  
tinet, nulla cura prior effe debet, quam ut  
omnia quae oculum irritent praefentia tol-  
lantur, alia vitentur. Itaque tota curatio  
antiphlogiftica hic requiritur. Amovenda  
igitur, ante aliam omnem curationem, alio-  
quin frustra futuram, aliena corpora inter  
oculi orbem et palpebras infinuata, aut cor-  
neae adhaerentia. Cujufmodi funt ferri mi-  
culae, infectorum alae, et fimilia, quae fimul  
ac cernuntur extrahenda funt ; item palpe-  
brarum pili, fi introvertuntur, radicitus  
evellendi ; et tubercula intra palpebras  
enata funt delenda. Porro, victus lacte-



us et vegetabilis utendus, carnibus omnium generum, et potionibus fermentatis, maxime si febris aut diathesis phlogistica subest, abstinendum. Cubiculi temperies ita calori et frigori media esse, ut in hoc magis inclinet, et pulvere et fumo carere aër ejusdem, debet. Fugienda studia intensiora sunt, et quicquid aut cerebrum irritare, aut eodem et ad oculos sanguinem impellere, potest.

Verum omnibus curationis antiphlogisticae partibus res major, et in ophthalmia, quam in reliquis phlegmasiis, magis attendenda, est lucem vitare. Intolerantia lucis omnis ophthalmiae symptoma est, quia lux oculum tangere nequit, quin in omni ejus parte motum concitet; nec irida solum, sed omnes oculi orbis et palpebrarum partes, commovet. Nulla corporis humani pars aut assiduos magis, aut tot tamque volubiles motus peragit. Adeo in motum pronus est, ut vel temporis puncto sine conatu sisti non possit. Ideoque, ut talis motus ibi nocentissimus sit, ubi sita inflammatio est, necesse est. Primum igitur vitanda lux est, motus vitandi causa. — Sed et alio nomine vitanda est. Nam,  
si



si retinae aucta sensibilitas est, lux eam magnopere irritabit. In internis hic inflammationibus, ut tunicae choroideae, maximeque retinae, ubi manifeste aucta sensibilitas est, vitandam lucem esse, pariter manifestum est. Sed harum partium, altius sitarum, inflammatio rarior est; ideoque, si in ea sola sensibilitas augetur, vitare accuratius lucem rarius foret necesse. Verum non iis casibus solis praeceptum de luce vitanda continetur. Vel levis adnatae inflammatio, ut ad interiores membranas spargere inflammationem non possit, id tamen tensionis et plenitudinis ad eas demittit, quod sensibilitatem eorum magnopere adaugeat. Quod ubi factum est, minimum lucis irritamentum summae noxae erit.—Atque, ob eas causas, maxima vitandae lucis, inflammato oculo, causa est. Quod quidem praeceptum, aliqua ex parte respiciens, omnis lippus, rectos Solis, ignis, aut lucernae radios devitat, sub umbraculo oculos habendo. Sed haec cura minime factis est: Sic enim licet validiores lucis impulsus caveantur, tamen factis lucis ex rebus,



ea illustratis, ad oculum pervenit ad hujus motus concitandos. Igitur pilei margo demissa, umbracula quibus ignis, quibus lucernae lumina avertuntur, invalidam opem praestant. Nec alter obtectus oculus, si is forte unus inflammatur, satis defenditur: Siquidem, utriusque oculi motu naturaliter conjuncto, tectus aperti motiones consequetur; nec quicquid noxae in hac administratione, praeter lucis irritamentum, cavetur. Sed eadem vitandae lucis ratio alio nomine nocet, scilicet, perspirationem cohibendo, cumulatque circa calore oculi calorem augendo: Qua re perniciosius nihil est. Ob quam causam, ne utriusque oculi tectio bona est.—Sola igitur irritamenti lucis et oculi motionis vitandae ratio tenebrae quam altissimae sunt. Hoc primum et capitale remedium ophthalmiae est, et cui summa curationis incumbit; cujusque neglectui saepe morbi fecus procedens curatio tribuenda est. Idemque hoc de tenebrarum hic usu praecipuum, inter alia plurima inventa et monita, quibus artem salutiferam auxit, jam relato viro,



viro, Culleno nostro, debemus. Is non solum in seipso, sed in aliis, summum tenebrarum in ophthalmia usum expertum sese dicit. Monendum vero hic praeterea est, postquam in tenebroso cubiculo aliquamdiu homo retentus est, et decessit inflammatio, eum in lucem paulatim, et perquam tarde, reducendum, ne noceatur oculo, cujus sensilitatem tam morbus quam remedia auxerint. A subito autem e tenebris in claram lucem transitu, ut retinam irritaturo, in omnibus oculi partibus subitos et praeter naturam motus concitatur, et morbum reducere periclitatur, cavendum in primis erit.

Haec de irritamentis vitandis dicta sint: Ut caetera remedia, sanguinis impetum et vasorum actionem imminuentia, exponam,

Sanguinis detractio communis, sive is ex magna aliqua vena elicitus, tonum arteriarum relaxando et imminuendo, maxime agit. Qui effectus major aut minor erit, prout toni, et tensionis plus minusve praeerint. Ideoque nisi tonum et tensionem plenus aut inflammatorius habitus forte



forte auxerit, sanguinis ex magno vase detractio haud magnum usum praestabit. Itaque adversus inflammationem localem inane remedium illud esse experientia confirmavit. Cujus rei ratio in promptu est: Dum enim ad universas arterias relaxandas actio ejus pertinet, ea relaxatio in qualibet una parte non exigua esse non potest. Quoties igitur ophthalmia, ut saepe est, sine febre et diathesi inflammatoria est, generali sanguinis detractio non curanda est; quippe quae, nisi tanta esset, quanta peripneumoniam tolleret, ad salutem nihil faceret, et relaxationem, quae faciliore via impetrabilis est, tanta jactura quaerere, magnae foret dementiae. Verum si inflammatio magna est, ut in interioribus membranis aut sedeat, aut sedere videatur, et ad partes vicinas spargit inflammationem, febremque et diathesin phlogisticam dat, ei casui detractio generalis non solum convenit, sed necessaria est. Quae tamen quam proxime localem detractioem accedere debet, et venae brachio jugularis anteposita plus effecti dabit.



dabit. Sed haec ratio sanguinis mittendi minus in plerisque casibus requiritur; siquidem

Vasorum oculi tonum, et sanguinis in iis impetum, haud paulo efficacius imminuit detractio localis. Detractio localis dicitur, cum aut ex vasis cum laborantibus protinus continuis, aut ex his ipsis, sanguis aufertur. Quarum utraque in hoc morbo fit. Prioris generis arteriotomia est, ubi arteriae juxta oculum, et plerumque temporalis, eligitur incisio. Ex hac, si magnus ramus est, satis magna sanguinis impetrari copia potest; quae velociter fluens, vasa vicina, nec ulla certius quam oculi, relaxare mire potest. Quod utique opus anceps est, et multa id incommoda circumstant: Primum, quod ramum parvum tantummodo saepe invenimus, ex qua, quamvis prorsus intercisa, non satis sanguinis accipitur. Tum, si ramuli ejus, ad oculi vasa euntes, pauci aut exigui sunt, in eo casu, licet satis sit detractum, effecti utilitas non, pro copia detracta, erit. Praeterea, difficile saepe sistitur profluvium, quod, per-



rupta plaga, rediens, ad immodicam saepe magnitudinem, et magnam noxam, procedit. Cui incommodo si, arcte ligando, obviam eatur, compressis venis, plus mali, quam detracto sanguine, boni subsequetur. Reque vera, in plerisque casibus sola, in multis tutissima, comprimendi ratio ea est, quae arteriae latera inter sese arcte committit. Ob haec omnia incommoda, arteriotomiae medici, quam paucis ante annis, minus student.— Iisdem incommodis venae temporalis, aliarumve juxta oculum, incisio, fere premitur, quae saepe parvae sunt, ideoque satis sanguinis non praebent; aut, id quod satis sit, adeo tarde plerumque exit, ut relaxationem quaesitam non det. His igitur localis de tractionis rationibus,

Temporum, impositis cucurbitulis, incisio, haud paulo praestantius remedium est. Hac enim ratione, et tantum, quantum vis, impetrabis, et, multis subito apertis vasis, arteriae temporalis, aut venarum cum oculi vasis conjunctarum incisionis omnia commoda, absque



absque ejus incommodis, et absque periculo, consequeris.

Sed alia concisio est, quae, a perito chirurgo administrata, adversus ophthalmiam, praecipue localem, aliis localis detractionis rationibus, et hac etiam, potior est. Est autem interioris palpebrarum lateris, aut oculi quoque orbis concisio. Per eam sanguis protinus ex partis laborantis vasis aufertur, et pro ratione effectus saepe respondet. Mirumque est, utilissimum hoc remedium, a rationalibus neglectum chirurgis, penes circumforaneos fere oculistas haecenus solos fuisse. Verum, cum exiguum sanguinis sic tantum dematur, ideo, in vehemente, et ad vicinas partes serpente, inflammatione, haec reliquis sanguinis detrahendi rationibus memoratis non superfedebit.

Alia localis sanguinis detractionis ratio de qua dicamus restat, nempe, hirudinum usus, ab omnibus fere de hoc morbo scriptoribus laudatus. Hae aut temporibus, aut palpebris, fere imponuntur. Et quoniam fatis multae imponi simul queunt, ita fatis sanguinis,



guinis, fatque fubito, auferri per eas poteft. Hocque habent praeterea commodi, ut ad ipfam oculi partem inflammata admoventi poffint. Nec in ophthalmia faepe profuiffe dubium eft. Sed incommoda habent filentio non praetereunda. Difficile figuntur, difficiliusque loco defiderato: Sanguinemque auferunt in nullo cafu metiendum: Foedasque poft fe cicatrices, faltem per aliquod temporis, relinquunt. Et fi infra palpebram inferiorem, ut fieri folet, imponuntur, ecchymofin facile faciunt. Adeoque poft eas impofitas tumet faepe pars, ut oculus prorfus occludatur: Quod morbum, cujus tollendi caufa impofitae funt, neceffario augebit. Sed et idem hic tumor palpebris non continetur; ad loca diftita magis ferpit, nec oculi folum auget inflammationem, fed in periculum hominis vitam adducere poteft. Cujus rei ipfe exemplum vidi. Pueri undecim annos nato, fani habitus corporis, ob levem tunicae albugineae rubedinem, una hirudo infra interiorem affecti oculi canthum impofita eft, quae intra breviffimam moram dolorem



dolorem faeviffimum excitavit. Partes circa oculum tumere incipiebant. Sublata hirudo est. Sed crescens tumor, tandem totum caput, cervicem, pectus, et humeros, immanis occupavit. Simul vomitus magnus, pulsus citus, fitis, auctus toto corpore calor, et alia febris inflammatoriae signa comitabantur. Sic tumentes partes, quasi anasarca affectae, praeter palpebram, quo imposita hirudo erat, quae cerulei coloris erat, videbantur. Perque triduum hae affectiones, licet idonea curatio ab optimis chirurgis Gibsono et Anderfono adhibita fit, moratae paulatim decefferunt. Quae mala ab hirudine, morsifne sub cute nervis, an veneno insinuato, haud dicere aufim, orta sunt. Et, licet tales earum effectus rari sint, tamen et quia incidere possunt, et ob incommoda supra memorata, ubi ad alias sanguinis e parte detrahendi rationes, quae et efficaciores sunt, et periculo carent, aditus est, haud imponendas hirudines judico. Et sicubi imponendi eas necessitas fuerit, super tempora imponi debent.

Purgatio



Purgatio alvi, post Hippocratis, ad praesentia tempora, in hoc morbo, et saepe felicissime, adhibita est. Quod remedium adversus capitis inflammationes, quam alias phlegmasias, efficacius eo est, quia a vasis capitis revellit; scilicet, tot in canalem intestinalem influenza oscula vasorum aperiendo, non solum humorum circumeuntium copiam imminuit, sed arterias mesentericas, ideoque totius abdominis vasa, stimulando, sanguinem in aortam descendentem derivat, et sic ab ascendente aorta, ideoque a capitis vasis, avertit. Qua quidem ratione miram saepe adversus ophthalmiam opem purgatio alvi adfert. Quod ad purgantium delectum habendum attinet: Ubi febris subest, acria vitanda, ob irritationem nocituram, sunt; lenioraque, licet non satis depleant, tamen ad duritiem alvi vitandam danda sunt. Absente vero febre, hydragoga, quae dicuntur, purgantia utenda sunt. Mercurialia in ophthalmia nonnulli laudaverunt. Quae, ut mercurialia, aliis purgantibus non anteponenda sunt; quippe enim cito alvo effugiunt.

Neque



Neque calomelas, aliter quam purgantia alia exacuens, tantopere hic profuit.

Vesicatoria, prope partes laborantes ad-  
mota, in plerisque ophthalmiae casibus,  
profunt. Quae utique in chronicis ca-  
sibus saepe spem nostram fallunt. Maxi-  
meque ibi opitulatur, ubi ad membranas  
vicinas, et praecipue ad periosteum orbitae  
obductum, et super tempora productum,  
pertinet inflammatio. Itaque, vigente super  
tempora aut circa totum caput dolore, poten-  
tissimum hoc remedium est. Ubivis capitis  
collocari debent; nec cervici summae aut  
pone aures imposita non quoque respondent.  
Sed maxime idoneus locus tempora aut ca-  
pillitium est. Detonsi rasique ante vesica-  
toria imposita pili a multis scriptoribus lau-  
datum remedium sunt; et revera profunt.  
Quod mihi aucta perspiratione potissimum  
fieri videtur. Ad quam porro augendam,  
et auctam servandam, tegendum veste lanea  
caput est. Primum vesicatorii opus effica-  
cissimum est; minusque juvat omne post  
profluvium: Quod virtutem ejus antispas-  
modicam



modicam esse fidem mihi facit. Ideoque pro perpetuo vesicatorio rectius est, partem quamprimum sanari sinere, rursusque imponere vesicatorium. Impositumque capillitio amplius solito esse debet.

Fontanelli et Setacea interdum cum fructu in ophthalmia usurpantur. Quae, et impetum humorum ab oculo avertendo, et ferrosam lymphaticamque sanguinis partem abstrahendo, utilem relaxationem dare possunt. Eadem tamen minime primo opere tam efficacia, quam vesicatoria sunt. Pessimumque fontanellorum genus id est, quod unguento epispastico fit. Quoties capitis apici, cui loco imponi solent, cantharidum impositio renovatur, dolorifica irritatio, et aliquando manifestum inflammationis augmentum oritur. Ideoque fontanelli cum pisa, quae hoc incommodo carent, anteponendi sunt; et nunc ubique fere anteponuntur.——Cum setacea multo plus humoris quam fontanelli abstrahant, ideo utiliora esse debent; suntque saepe. Itaque setaceum summae insinuatum cervici aliquando efficax imprimis est.



est.—Fontanelli et fatacea aetati puerili accommodatissima sunt. In qua eorum defuetudo, aut cuiusvis humorum jaeturae suppressio, non eadem habet, ac in adultis, incommoda.

Ut ophthalmia morbus externus est, ad inflammationem solvendam multa externa remedia adhibentur. Quae adhiberi vulgo solent, sunt mollientia, frigida lavatio, et praeparationes saturninae. Quibus ero contentus.

Mollientia aliquando necessaria et usui sunt, sed plerumque nocent. In magno palpebrarum tumore, magnoque dolore, tensione, et siccitate partium, inflammatione comitante, fomenta, aut cataplasmata ex lacte et pane, oculo admota, juvant. Cui utique casui soli conveniunt, et sic quoque leviter, nec diu, admovenda sunt. Eadem, ubi neque dolor neque tensio magna sunt, magnae noxae erunt; nam vi relaxante, et calore quem inferunt, non solum statum vasorum congestionis capacem reddunt, sed in ea sanguinem quasi alliciunt.

E

Frigida



Frigida oculi lavatio, ubi vetustior inflammatio est, aut in vaforum laxitate consistit, ante alia omnia remedia est; impetumque sanguinis imminuit, et tollit laxitatem. Quod ad modum administrandi attinet, totum caput aqua mergi apertis oculis, quo propius partem inflammata remedium perveniat, oportet.

Praeter praeparationes saturninas, alia metallica, virtutem stimulatricem, adstringentem, et sedatricem possidentia, usurpata, et saepe cum fructu, sunt, maximeque vitriolum album ex zinco praeparatum. Quibus utique, quia minus stimulat, quia praecipue vi sedante agit, et quia reliquorum usum satis experti medici id omnibus anteponunt, ego etiam antepono plumbum. Quantum saccharum saturni, quod remedium vulgo adhibetur, ubi magna inflammatio est, et cornea aliquantum obfuscat, adstringendo noceat, incertum est. In paucis hujusmodi casibus sic nocere forsitan potest. Verum ego, multis temporibus, ex ejus in magna satis inflammatione usu, nullam noxam, contra,  
magnum,



magnum, dum refrigerabat, doloremque et tensionem imminuebat, fructum oriri vidi. Idemque, nonnulli magno nomine medici, virtutem ejus experti, testantur. Verum, ad omne vitandum periculum, priusquam talia remedia adhibeantur, purgationes institui, et inflammationem aliquantum remittere oportet. Eadem, in morbo jam longo, et a laxitate pendente, prodesse nemo it inficias. Cavendum tamen a longo eorum in omnibus casibus usu est, ne, per magnam sedandi vim, partibus quibus applicantur atoniam, affectumve paralyticum, inferant. Quod idem de reliquis omnibus sedantibus et adstringentibus remediis, sic admotis, una aqua frigida excepta, dicendum est. Duplice forma saccharum saturni usurpatur, scilicet, aut cataplasmatibus aut lotionibus; et in utraque forma frigidum admoveatur. A cataplasmate diutius admoto, ut plus fructus oriri debere videatur, ita non oritur; nam, oculum calefaciendo, plus damni quam boni, vi sedatrice, praestat. Quo incommodo lotio caret; et, licet brevi unoque tempore admoveatur, tamen



men efficacior est, et cataplasmati antepositur. Quod ad lotionem attinet; si in aqua qua saccharum saturni dissolvitur, aliquid alienum, ut terra vel alkali, inest, pars plumbi praecipitabitur. Aqua recens destillata perfectam dabit solutionem: A qua, si diutius fervata est, etiam aliqua metalli pars decedet. Ideoque, ad redissolvendum quicquid praecipitatum sit, et totum suspensum fervandum, aceti paululum adjici debet.

II. Ut ad secundum medendi consilium transeam, conglutinatio oculorum molestissimum symptomata est. Inflammatio tarfi, five primaria, five secundaria, humorem sebaceum, glandulis Meibomianis secretum, profundit. Is humor, ubi diu, ut in somno, contiguae palpebrae fervantur, adeo eas conglutinabit, ut sine laceratione, aut, quod aeque malum est, sine aquae calidae diuturniore lotionem, aperiri oculi nequeant. Ad huic symptomati medendum, humoris visceri cohaesionem imminuendo, varia collyria a multis medicis inventa sunt, mag-



magnisque invicem a suo quodque auctore laudibus elata. Nec dubium est quin saepe profuerint. Sed omnia hoc parum idonea sunt; quod pulveres terreos, terebinthina, et corpora resinosa, continent, quae ut oculum irritent necesse est. Verum, ad hoc symptoma leniendum, si non ex toto prohibendum, nihil accommodatius est, quam blandum et unctuosum aliquid, palpebris insertum. Axungiae paululum rancedinis expers apte factis respondet. Id prius admovendum est, quam dormiat aegrotans, bisque vel ter per noctem eo renovandum, quod portio adhibita, quia exigua est, cito liquefactum abluitur, et optatum effectum tollit. Renovandi remedii tempus est, ubi vigilat aegrotans. Aut, si conglutinatio magna est, de industria expergefaciendus est. Contra palpebrae aut summi oculi orbis exulcerationem mercurius cum axungia tritus recte additur; quod detergentium optimum est.—Solum aliud symptoma hic sublevandum dolor est; qui saepe tantus est, ut somnum fuget, et inquietum noctu reddat aegrotantem. Ergo, si  
post



post sanguinis detractionem, fomentaque aut cataplasma oculi admota, hoc symptoma non multum sublevatum est, ad somnum conciliandum, et quiete oculos reficiendos, adhibendum opium est. Quod in hoc morbo tutissime pariter et utilissime adhiberi licebit.

F I N I S.







